

SICAM. De ea porticu legito Pausaniam in Laco-
nicis, vbi de iis quæ Spartæ in foro spectatu digna vise-
bantur. **CAPTIVORVM SIMVLA-
CHRA BARBARICO VESTIS OR-
NATV.** Visuntur senes duo captiui istiusmodi Ro-
mæ in ædibus Columnensium. Sunt et Tyburti iuvenes
duo, alti pedes duodecim, quos aliquando antepagmen-
torum fuisse loco sunt qui existimēt, ornatu capitis Ægy-
ptio. Videas & Romæ Satyros duos, etiã nūc oneri fe-
rūdo collocatos in ædibus Barptol. à Valle. Ita Romani,
quod Lacones in Persarum ignominiam fecerant imitati,
variarum rerum imagines in columnas transfulerunt.

**CANONICAM RATIONEM ET
MATHEMATICAM.** Mentio est Lib. v.

cap. iii. Sunt & quædam quæ huc pertitent apud Gellium
Lib. xvi. Cap. xviii. & apud Boetium musices Lib. i.
Cap. ii. et Lib. v. Cap. i. et. ii. **BALISTARVM,
CATAPVLTARVM, SCORPIO-
NVM, TEMPERATVRAS.** De his lib.

x. cap. xv. xvi. xvii. & xviii. Sed semel dictum velim,
me secutum esse in citando Vitruuio, distributionem ca-
pitum ex codice Florentiæ impresso, non tam quod pro-
barem (nam multis in locis ineptissima est, & Vitru-
uius perpetua oratione scripsit) quam vt quærentium &
legentiū consulerem labori. **PER QVÆ TEN-
DVNTVR SVCVLIS ET VECTI-
BVS.** In aliquibus codicibus ante vocabulum *suculis*,
adduntur duæ hæ dictiones, *ergatis* aut, neq; abs re. Nam
libro decimo, cap. xvi. *Balistarum* aliquas *suculis*, non-
nullas *polyspastis*, aliàs *ergatis*, quasdam etiam *tympa-*